



**Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis  
Ecclesiæ**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiæ, 1688**

Processio tempore belli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

- R. Citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.  
 v. Ora pro nobis S. Sebastiane. *S. Roche et S. Roche*  
 R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.  
 v. Domine exaudi orat.  
 R. Dominus vobiscum.

## Oremus.

**E**xaudi nos Deus salutaris noster, & intercedente beata & gloriosa Dei genitrice Maria, & beato <sup>santissimo</sup> Sebastiano ~~martyre tuo~~, & omnibus Sanctis, populum tuum ab iracundiæ tuæ terroribus libera, & misericordiæ tuæ fac largitate securum.

**P**ropitiare Domine supplicationibus nostris, & animarum corporumque medere languoribus, ut remissione perceptâ, in tua semper benedictione lætemur.

**D**a nobis Domine piæ petitionis effectum, & pestilentiam mortalitatemque propitiatus averte, ut mortalium corda cognoscant, & te indignantे talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per Dominum &c.

## PRECES DICENDÆ TEMPORE BELLI.

Peractis omnibus ut suprà ~~in majoribus Litanis~~, ad finem Litaniarum dicitur, Pater noster &c.

Et

V. Et ne nos inducas in temptationem.

R. Sed libera nos à malo.

**Psalmus. 45.**

Deus noster refugium & virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. &c.  
finito psalmo: Vers. Exurge Domine adjuva nos.

R. Et libera nos propter nomen tuum.

V. Salvum fac populum tuum Domine.

R. Deus meus sperantem in te.

V. Fiat pax in virtute tua.

R. Et abundantia in turribus tuis.

V. Esto nobis Domine turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

V. Arcum conteret & confringet arma.

R. Et scuta comburet igni.

V. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.

R. Et de Sion tuere nos.

V. Domine exaudi orationem meam. &c.

V. Dominus vobiscum.

**Oremus.**

Deus qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium, potentiam tuam defensionis expugnas, auxiliare famulis tuis, implorantibus misericordiam tuam, ut inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus.

Q q 3

Deus

## Processio tempore belli.

**D**eus à quo sancta desideria, recta consilia & justa sunt opera, da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublatâ formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla.

**H**ostium quæsumus Domine, elide superbiam & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne. Per Dom. nostrum Jesum &c.

**S**i verò bellum est contra Turcas, & alios infideles & ~~hæreticos~~, inter preces Litaniarum bis dicatur: Ut inimicos S. Ecclesiæ humiliare digneris. **R.** Te rogamus audi nos. & addatur: Ut Turcarum ~~& vel hæreticorum~~ conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris &c. & dicto Pater noster &c. dicatur.

## Psalmus 78.

**D**eus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum; posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam,   
*quo psalmo finito.*

**v.** Salvos fac servos tuos.

**R.** Deus meus sperantes in te.

**v.** Esto nobis Domine turris fortitudinis.

**R.** A facie inimici.

**v.** Nihil proficiet inimicus in nobis.

**R.** Et

- R.** Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
- V.** Hostium nominis tui Domine, elide superbiā.
- R.** Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.
- V.** Fiant tanquam pulvis ante faciem venti.
- R.** Et angelus Domini persequatur eos.
- V.** Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.
- R.** Et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.
- V.** Mitte nobis auxilium de Sancto.
- R.** Et de Sion tuere nos.
- V.** Domine exaudi orationem meam.
- V.** Dominus vobiscum.

### Oremus.

**D**a quæsumus Ecclesiæ tuæ misericors Deus, ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

**D**eus qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur averte.

**O**mnipotens sempiterne Deus, in cūjus manu sunt omnium potestates, & omnium jura regnorum,

312 Processio in quacunque tribulatione.

rum, respice in auxilium Christianorum, ut gen-  
tes Turcarum, (seu hæreticorum) quæ in sua fe-  
ritate confidunt, dexteræ tuæ potentia con-  
rantur. Per Dominum &c.

## PROCESSIO IN QUA- CUNQUE TRIBULATIONE.

Servatis omnibus, ut suprà, in Litaniis majoribus, ac finitis Lita-  
niis dicitur, Pater noster &c. ¶ Et ne nos inducas  
in temptationem.

### Psalmus. 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis &c.  
in fine, Gloria patri &c. vel

### Psalmus. 90.

Qui habitat in adjutorio altissimi &c.

Eo psalmo finito dicuntur, ¶ Deus refugium nostrum  
& virtus.

R. Adjutor in tribulationibus.

¶ Salvos fac servos tuos Domine.

R. Deus meus sperantes in te.

¶ Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immor-  
talis.

R. Miserere nobis.

¶ Adua nos Deus salutaris noster.

R. Et propter gloriam nominis tui Domine li-  
bera nos.

¶ Do-

gnut